68.
138

Viro Summe Reverendo atque Excellentissimo
IOANNI SALOMONI SEMLERO
Fautori summopere colendo
S. P. D.

IOANNES FRID. GRVNER.
Professor linguae roman. eloqu.
Antiquit.

TE amicitiae, quam Coburgi quum degeres iunximus, adhuc
memorem esse, VIR SVMME REVERENDE, inde non sine
magna animi voluptate intellexi, quod per Socrum TVAM
honoratissimam elegantissimi ingenii TVI monumenta pub.
inde ad me mittere dignatus es. Hanc TVAM erga me
benevolentiam uti grato ego animo agnoscere studeo, ita
vehementer opto, ut ipse quoque habeam, quo TIBI
quam TVI studiosus sim pro ingenii tenuitate decla-
rem. Hoc consilio ad TE mitto iam opusculum, quod
nuper de odio humani generis, Christianis olim a Ro-

manis obiecto, edidi: leuidense illud munus quidem, TIBI tamen
quod ab homine amico proficiscitur, ut spero, non plane ingratum.
Accipe igitur illud eo animo, quo mitto, id est beneuolo.
De nostris rebus copiosius ad TE scriberem, nisi mallem a quouis
alio de Gymnasii nostri statu certior fieres, quam a me; ipsi sine
dolore ne cogitare quidem de eo valeo. Ipse praesens olim omi-
nari ex praesentibus potuisti, quae speranda forent. Non ea
solum, quae diuinare solebamus quum una essemus, euenerunt, sed
maiora etiam. Ast tacere praestat, ubi querelae nihil profi-
ciunt. TV, VIR CELEBERRIME, uale cum VXORE TVA aman-
tissima, uterque a me et ab uxore plurimum salutati. iterum
uale, et me amare perge. Dabam Coburgi a. d. XXVII. m.
Sept. MDCCLV.